

Bibliothèque numérique

medic @

**Bertholet, Jean-Baptiste-Claude -
candidat / Sue, Pierre - président. - De
cystocele inguinali**

1778.

***Paris : Parisiis, Typis Michaelis
Lambert, Regii Chirurgiae
Collegii Typographi, viâ
Cithareâ,***

Cote : ms 2344, n°34

DE CYSTOCELE INGUINALI.
T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ;

QUAS, DEO JUVANTE, & Præfide M. PETRO SUE,
Juniore, Collegii antiquo Præposito, Academia Regiæ Chirur-
gica Consiliario, in generali Parisiensi præfecturâ Chirurgo
ordinario, antiquo in Scholis-præcticis Anatomia & Chirurgiæ
Professore, Academiarum Monspelliensis, Rothomagensis,
Divionensis, Lugdunensis, Burdigalensis Socio, tueri cona-
bitur JOANNES-BAPTISTA-CLAUDIUS BERTHOLET,
Parifinus, Artium Liberalium in almâ Parisiensi Univerfitate
Magifter, Thefeos Auâlor.


Die primâ Mensis Augufti, anno reparata Salutis 1778, à feſqui-
ſecundâ poſt meridiem ad ſeptimam.


P A R I S I I S ,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;
PRO ACTU PUBLICO
E T
MAGISTERII LAUREA.



P A R I S I I S ,
Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii
necnon Academia Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXVIII.







D. O. M.

T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

DE CYSTOCELE INGUINALI.

VESICÆ urinariæ hernia veteribus ignota, à recentioribus detecta (1), quàm plurimis (2) observationibus ità nunc confirmatur, tamque certis stabilitur fundamentis, ut nemo nisi Chi-

(1) *M. Mery*, Comment Acad. Reg. Scient. ann. 1713. *M. Petit*, in iisdem 1717. *MM. le Dran, Garangeot, la Faye*, Op. Chir. *J. P. Divoux*, Diss. Med.-Chir. de vesicæ urinariæ herniâ, præside *Salzmann*, 1732. *Heist. & Platner* Inst. Chirurg.

(2) *Verdier*, Comment. Acad. R. Chir, Tom. II.

rurgiæ ignarus, de hujus existentiâ anceps hærere possit. Licet rara, non minùs periculosa, siquidem sæpè, etiam acerbissima, eam exasperant accidentia, ægrum, ni solers adesset Chirurgi manus, ineluctabili letho traditura. Hujusce morbi causas, signa, symptomata, curationem evolvere & expromere hoc opus, hic labor est. Antea verò, pro antiquo & solemni Scholarum usu, de Vesicæ sede, structurâ, & ejusdem cum partibus vicinis respectu, notiones anatomicas paucis saltem verbis enucleare operæ præ-tium est.

EX ANATOMIA.

VESICA urinaria viscus est cavum, musculo-membranaceum, in pelvi situm, multo textu cellulari cum ossibus pubis cohærens, & apud homines in rectum intestinum, apud fæminas in uterum incumbens. Hujus fermè ovalis figura, pro sexu, ætate & plenitudinis gradu differt. Multiparis in mulieribus tetradum simulat: vacua, superiùs rotundior, repleta, latior inferiùs existit. Indè perfectum refert ovoïdem, in quo tres potissimùm annotantur partes, nempe *cervix*, *corpus* & *fundum*. Pars superior & posterior, peritonei expansione adumbrata, ~~cervix~~ ^{corpus}; pars inferior & anterior instar ^{al.} caniculi coarctata, collum; pars tandem posterior & inferior fundum nuncupatur.

Iisdem ferè ac ventriculus gaudet tunicis vesica, quarum una externa *musculosa*, secunda *nervea*, tertia *villosa* vocantur. Musculosa seu carnosa fibris contractilibus, pallidis, diversi-modè decussatis componitur. Omnes hæ fibræ, tum longitudinales, tum obliquæ, in varios lacertos per cellulositatem reticulatim ordinatæ, ab imo vesicæ fundo discedunt, versùs latera progrediuntur, & ad cervicem terminantur. Harum contractio vesicam deprimens, ad fundum urinam depellit. Aliæ sunt adhuc fibræ quæ in stratis tum parallelis, tum transversis sine ullo vix ordine contextæ, priorum intervalla replent & me-

diante textu cellulari, cum nerveâ tunicâ connectuntur. Hæc à quibusdam negata, alba, crassa, firma, eximium vesicæ sensum constituit. Subest interna seu villosa membrana, leviter granosa, villis brevissimè eminentibus, & variis rugis complicata; ad minuendum acris lotii sensum mucilaginosâ lymphâ continuè irroratur. Infimam versùs hujus visceris partem, triangularis perspicitur areola, levis, densa, exquisitè sensilis, *trigonus* dicta, in quâ tria patescunt foramina, quorum posteriora duo ac penè conniventia ureterum sunt orificia, anterius verò urethram efformat. Cum intestino recto, vesiculis feminalibus & prostaticâ apud viros, cum utero apud fœminas, & in utroque sexu cum ossibus pubis diversimodè annectitur vesica. Et 1°. quidem in ejus apice ligamentosus conspicitur *funiculus*, in fœtu cavus, in adulto plenus, cum arteriarum umbilicalium extremitatibus ad umbilicum usquè ascendens, proprium & superius vesicæ ligamentum formans: *urachum* appellant. 2°. In parte posteriori, duo lateralia ligamenta à duplicatione peritonei corpus vesicæ regentis orta, in infantibus magis quàm in adultis apparent. 3°. Deniquè pars anterior vesicæ, multo textu cellulari duobusque fasciculis, ossibus pubis alligatur.

Sanguiferis continuè irrigatur vesica vas, quorum arteriæ ab hypogastricis & umbilicalibus suppeditantur. Venarum eadem sunt nomina, eademque distributiones. Nervi à cruralibus, à sacris & ab inferiori plexu mesenterico procedunt.

Jam satis hæc essent de Anatomia, ni partium per quas prolabi potest vesica, delineationem necessariam hîc esse judicarem. Hæ partes sunt ovale foramen, vagina, præsertimque musculi abdominales, quorum quinque pares; eâ parte præsertim herniis favent, quâ sunt perforati, nempe *annulo umbilicali*, *arcu crurali*, tertio tandem improprie dicto *annulo*, semi-ovalis figuræ, à musculi obliqui appendicibus, *columnis* dictis, constructo. In supernam & infernam distinctæ, ex uno latere in al-

rerum progressæ , crucis in modum sese decussant hæ columnæ ,
offibusque pubis firmiter annectuntur.

EX CHIRURGIA.

TUMOR à vesicâ efformatus , initio parvus , sensim ac sine sensu crescens , tensus atque renitens si adsit lotium , mollis verò si vesica sit vacua , cystocele dicitur. Majori donatur volumine post retentæ diù urinas ; iis autem emissis , decrescit aut ferè evanescit. Meiendi desiderium in ægro excitat hujus protuberantiæ levis compressio , dùm à validiori miçtio plena sequitur ; tumor tunc , idoneo corporis situ habito , jam nullus est. Huic affectui sociantur urinæ retentio , miçtio difficilis ac dolorifica , variaque symptomata & accidentia ex complicatione ortum ducentia. Sunt ægri qui nunquam urinas emitterent , ni manibus admotis tumorem elevarent ac premerent (1).

Varia , pro naturâ , pro fede , herniæ vesicæ imponuntur nomina. 1°. Quoad essentiam , *simplex* , *composita* , *complicata* vocatur ; 2°. Quoad sedem , quandò per annulos irripit , *inguinalis* , & tunc vel *incompleta* (2) , morantibus in inguine partibus , vel *completa* (3) , iis in scrotum delapsis , dicitur. Quandò sub arcibus cruralibus , *cruralis* (4) , quandò per laxatos perinæi , hypogastrii necnon vaginæ parietes , *perinæalis* (5) , *hypogastrica* (6) , *vaginalis* (7) nuncupatur.

Cystocelis causæ , communes sunt & propriæ : communes , vel internæ vel externæ , ad eas generatim reducuntur quæ fibras relaxant , earumque naturali constitutioni & tono debilitandis

(1) *Ruyseh* , Observ. anat. Chir. *Verdier* , Mem. Acad. Chir. Observ. III.

(2) *Verdier* , Mem. Acad. Chir. Observ. I.

(3) *Mery* , Mem. Acad. Scient. , 1713.

(4) Mem. Chir. Observ. XI , par M. *Levret*.

(5) *Mery* , Ac. Sc. 1713. -- *Curade* , Mem. Ac. Ch. Observ. XIII.

(6) Ac. Ch. Observ. XIV , par M. *le Dran*.

(7) *Ruyseh* , Observ. anat. Chir. Obser. 1. *Robert* dans *Verdier* , Obs. XVIII.

velificantur ; undè meritò inter priores accusanda veniunt humorum in corpore circulantium affluxus major, serum abundans, diæta pinguis, oleosorum abusus; ad posteriores causas, violentos in luctâ & equitatione motus, cursus, coitum effrenatum, casus ab alto, &c. referendos censemus. Speciales inter causas, prima ac præcipua est nimia vesicæ dilatatio, urinæ retentione & difficultate prægressis. Indè ejusdem flacciditas, atonia & contractionis sufficientis defectus; indè vel ad utrumque (1) vel ad alterutrum latus aberratio & prolapsus. Peculiaris hujus visceris figura graviditatis tempore contingens, quo formam veluti brachiatam induit, & ab utero gravido ad ossa pubis lateraliter pressa deorsum expandi cogitur vesica, altera sit herniæ cysticæ causa. Tertia, tractio à visceribus aliis prolapsis (2), ut ab intestinis, omento, utero, vaginâ, &c. è loco nativo dejectis, quod profusè eò magis metuendum, quò laxiora sunt vincula vesicam alligantia. Hoc verò in hydropticis, phlegmaticis necnon in senibus haud rarò evenit. Parietum vaginæ per partum multiplicem distensio & debilitatio quæ, partibus atoniâ laborantibus, sufficienti sustentaculo vesicam defraudant, quarta & ultima cystocelis causa admittenda nobis videntur.

Hujus morbi signa quandoquè primâ specie errori (3) ansam præbere experientiâ constat; horum enim fermè eadem est indoles (4) ac hydroceles & bubonocèles, nempe diaphaneitas tumoris, fluctuatio, tensivus in regione dolor, renitentia, &c. Verè autem propria ac ferè Pathognomonica cystocelis signa, notabilis nempe dysuria, miçtio laboriosa, mingendi etiam impossibilitas, ni tumorem comprimat æger, de jam enarratis faciliè statuenda. Si superveniat inflammatio, calor partis affectæ

(1) Mém. Chir., Observ. X, M. de la Porte.

(2) Observ. IV & V. Verdier.

(3) Observ. VIII, M. Maurain.

(4) Mery, Acad. Sc. ann. 1713.

augetur, dolor exacerbatur, & febris major minorve accenditur. Sævit etiam singultus, ex celeb. *Petit* observatione, si hernia inflammata simplex sit, vomitum sequens, præcessurus verò si epiploceci aut enteroceli associatur.

Orificium partis herniosæ ità inflammatione sæpè sæpiùs clauditur, ut ex ipsâ in alteram vesicæ partem urinæ evacuationi non sit locus, & indè strangulatio necessariò succedat. Aliàs quamvis inflammetur orificium, ità tamen hiat ut, lotii ex uno in alterum loculum per pressionem expulsionem, via pateat. Præfente tunc inflammatione strangulatio exulat, Quid? si in cystocele contineantur calculi(1)? Aderunt tunc renitentia, vesicæ vacuitate tactui sensilis strepitus, dolores tandem ab hujusce modi concretionibus excitati. Quandoquè ità à calculo obruratur herniæ meatus, ut *obstructâ* saluetur, urinâ in tumore incarceratâ, cystocele. In hoc herniæ inguinalis vel vaginalis calculosæ apparatu, salutiferum sit Lithotomia. Detectis per celotomiam partibus, calculus extrahatur, & deligato, ut in cæteris, vulnere, ne continuus per illud urinæ sit effluxus, tubulosi catheteris immisione ad vias solitas revocetur urina. Hâc enim in herniâ superstitè, ità stimulari possunt vesicæ parietes, ut, inflammatio licèt absit, eadem tamen ferè, ac in cystocele inflammatâ, insequantur symptomata, nempe dolores, nausæ, singultus, &c. Hæc autem avertuntur, urinâ scroti superpressione catheterisque ope evacuata, eâ vero lege ut statim ac vastiùs tumet vesica, ab ægro exoneretur.

Herniæ cysticæ nonnunquàm adesse adherentias probant exempla; de harum tamen existentiam plurimam injicit suspicionem cystocelis reductionis impossibilitas, nullâ ab aliâ causâ pendens; ad operationem tunc sine morâ confugiatur; sed antea in inguinali cystocele notandum, faccum herniosum, in epiplocele &

(1) Vide *Verdier*, Mem. Acad. Ch. Observ. V. - *Beaumont*, idem Observ. VI. - *Petit*, Observ. VII. - *Thomas Bartholin*, Histor. anat.

enterocele aliisque herniis partes emotas includentem, in hac ramicum specie deficere, aut in cystocele completâ ante vesicam duntaxat positum, nusquam eam involvere.

Varia variis curantur modis cystocele, prout complicatio adest. Inguinalis curatio sic perficitur; interdictis ægro alimentis pinguibus, oleosis, necnon remediis diureticis, paucâ ipsi potûs quantitate concessâ, meiendi necessitati licet frequentissimæ obtemperet, & quantum poterit, in latus herniæ oppositum incumbat. Quo in situ si mictio sit difficilis, clunibus elevatis, scroti pressio, situsque supinus ipsi ferent suppetias. Nonnumquam enim absque compressione in aliâ corporis positurâ impossibilis sequitur urinarum emissio; quo facto, si hernia supersit, è fordibus per clysterem liberetur intestinum rectum: partis herniosæ repositio tunc per taxim tentetur, eâ applicatâ encheiresi quæ in intestini vel omenti reductione usurpatur; quâ penitus impenetratâ, bracherio congruo, pilâ instructo convexâ, muniendus est annulus inguinalis; quandò completa & reductionis impatiens cystocele, supponendum tunc subligaculum sacci formam habens, *suspensorium* vulgò dictum, è telâ factum paulò minori quàm protuberantiæ moles cavitate donatum, in dies, prout decrevit herniæ volumen, minuendâ & liquore astringenti ac roborante madefaciendâ. Paulatim annulum inguinalem attingit cystocele: suspensorio tunc necquicquam opus est: adhibendum duntaxat bracherium, pulvinari gaudens subconcavo, in planum dein, in convexum tandem mutando, quod foràs eliminandum, quandò nullum de perfectâ curatione remanebit dubium. Si circumpositis partibus vesica adhæreat, suspensorium vulgare applicetur; caveas autem ne pars aliqua vesicæ in protuberantiâ maneat ac comprimatur. Si verò pessima mali conditio, vel vesicæ adhæsió, inflammatione sæviante, ægrum trucidant, acu ad apicem tricuspdatâ (1) perforetur hernia, ut lotii exitus

(1) Mem. Ch. par *Verdier*, T. II, pag. 49.

obtineatur. Dein, venæ sectionibus plus minusve iteratis, emollientibus, resolventibus etiam adhibitis, inflammationi succurratur. Hisce auxiliis si cedere recusat, unica salutis anchora celotomia, ad quam Chirurgus citius sese accingere debet. Ægro igitur in margine lecti lateris herniæ proximo supino, elatis paulisper coxis, ministris collocatis, ex unâ tumoris parte dum Chirurgus ex alterâ, cutim herniotomus elever, extensamque scalpello incidat, suspensâ manu Sectionem peragendo, ne vesica sacco orbata læsionem patiatur. Divisis tunc textûs cellularis lamellis, denudantur partes & annulus obliqui externi persentitur. Hujus ut operetur per incisionem amplitudo, specillum fulcatum, extremâ sui parte inter anulum & herniam huc & illuc leniter agitatam, primò immittit Chirurgus. Scalpellum dein per specilli sulcum versus os ileum dirigit, & ejus ope anuli tendine secato, aperturæ constrictionem aufert, partemque vesicæ herniosam in alvum repellit. Glomello è linteis carptis conflato, plumaceolis & spleniis vino calido madidis, fasciatio-neque *spicâ* dictâ accuratè contentis, deligatur vulnus. Cicatrice factâ, ut in bubonocèle, splenio & bracherio firmatur curatio; major verò occurrit difficultas in herniâ vetere, completâ, adhærentiis vel gangrænâ stipatâ; adhæSIONES enim si quæ deprehendantur, manu solerti cautè destruantur, aut potius, ut prudentius agatur, acu tricuspidadâ, ut jam diximus, malum tantummodò moderetur.

Quandò in gangrænâ abit vesica, jam ad certam mortem trahitur æger, omnisque à Naturâ speranda salus, cum ad tantam mali exacerbationem superandam, prorsus inutilia forent & incassum adhiberentur Artis auxilia.

F I N I S.